



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam**

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

**Crespin, François**

**Bruxellæ, 1652**

VII. Quarum formarum objectum replicatum sit capax.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

subjecti, tamquam subjecti naturalis informationis eorum, quale manet in motu locali.

## D V B I V M VII.

*Quarum formarum subjectum replicatum sit capax.*

## R E S O L U T I O.

**C.** Ico, subjectum replicatum, five per solam adductionem, five per solam reproductionem, five per reproductionem simul cum adductione, non potest simul recipere formas, quas non potest simul recipere non replicatum.

**cr.** Probatur, quia oppositio & repugnantia istarum formarum non est penes ordinem ad locum unum, aut plura; sed per ordinem ad idem subjectum ex entitate sua illarum simul tempore habendarum incapax: atqui, nec sola adductio, nec adductio simul & reproduccio tollit illam incapacitatem subjecti, magis quam entitatem ejusdem subjecti, cui identificatur, nec addit virtualitatem ab illa entitate realiter distinctam, & quæ ante non erat; alioqui, contra suppositum, non esset reproduccio aut adductio ejusdem omnino rei, ergo, &c.

**cii.** Confirmatur, nec reproduccio, nec ubi, illas formas recipit, sed subjectum secundum se; ergo subjectum secundum se incapax illarum formarum simul habendarum, non fit capax ratione reproductionis simul & adductionis ad alium locum.

**ciii.** Obijcies ex P. Compt. & aliis, Phys. Disp. 35. Sect. 5<sup>a</sup>. res in diverso loco inadæquato existens, potest naturaliter recipere denominationes oppositas; ergo à fortiori existens in duplici loco adæquato ac discontinuo; consequentia patet: probatur antecedens, quia anima in corpore existens movetur in manu, dum interim frequenter non omnino movetur in pede; in manu dextra attollitur, & deprimitur in sinistra; actus intellectus est in anima in capite, non in manu, &c. ergo, &c.

**civ.** Respondeo distinguendo assumptum, res in diverso loco inadæquato existens, potest naturaliter recipere denominationes oppositas præcisè, quia est in diverso loco inadæquato, nego assumptum: quia est in diverso loco inadæquato, sic ut simul æqualeat multis habentibus esse simpliciter, concedo assumptum; sicut enim anima rationalis per se præcisè habet vires ad duo loca; ita posita in duobus locis per se præcisè habet vires ad ea, quæ contingunt in duobus locis, licet in uno contingere non possint: è contra verò, quia corpus in duobus locis existens, per se præcisè non habet vires ad duo loca, ita nec posita in duobus locis habet per se præcisè vires ad ea, quæ contingunt in duobus locis, quæ in uno contingere naturaliter non possunt. Hinc

**cv.** Colliges 1<sup>o</sup>, quòd si subjectum replicatum, de potentia absoluta in uno loco non possit aliquas formas habere, neque de eadem potentia posse illas habere in diversis locis, & si solum de potentia ordinaria non possit, & possit de absoluta, non poterit de ordinaria illas habere, & poterit de absoluta; hinc quia de potentia ordinaria non potest idem subjectum hic esse summè calidum & summè frigidum, si sit hic & Romæ replicatum, & hic aqua in ipsum agat, & ignis in ipsum Romæ, idem con-

tinget, quod contingeret, si ignis hic ab una parte, & aqua ab alia, agerent in idem subjectum hic existens, ad hoc determinata ex natura subjecti in quod agunt, quæ est eadem reproducta & adducta, ac non reproducta & non adducta.

**cv.** Nec dicas esse eandem etiam hodie & cras subjecti naturam, & tamen idem subjectum posse hodie calorem in summo, & cras frigus in summo recipere: disparitas enim est, quòd duæ durationes non sint simul similitudine existentie: unde ratione illarum subjectum æqualeat multis habentibus esse simpliciter diversa; diversa verò loca sunt simul similitudine existentie: unde ratione illorum subjectum non potest æqualeare multis, nisi secundum quid, & quoad loca diversa: deinde quantum cognoscimus ex natura rei, alia est repugnantia subjecti in ordine ad duas durationes simul, alia in ordine ad duo loca simul; hæc enim solum est respectu potentie naturalis; illa autem etiam respectu potentie supernaturalis; unde à durationibus ad ubicationes nullum est argumentum.

**cvi.** Colliges 2<sup>o</sup>, corpus centum librarum, quod hic ponderaret centum libras, & Romæ etiam centum, non ponderaturum ducentas: sed sicut foret idem hic & Romæ, ita hic & Romæ ponderaret easdem centum libras: sic similiter lignum pedale in spatiis A. B. C. D. per replicationem existens, non erit per replicationem quadrupedale, licet habiturum sit extensionem localem quatuor pedum; quia in illis locis futurum est idem lignum pedale.

## D V B I V M VIII.

*An Corpus replicatum possit moveri, & quomodo.*

## R E S O L U T I O.

**cviii.** **D** Ico, corpus replicatum posset supernaturaliter moveri, naturaliter non posset.

**cix.** Probatur 1<sup>a</sup> Pars, quia supernaturaliter corpus habere potest plura ubi, imò & ubique collocari, ergo, &c.

**cx.** Probatur 2<sup>a</sup> Pars 1<sup>o</sup>, quia non exigeret moveri; nam alioqui exigeret ubi supernaturale, quod est falsum, etiam supposito, quòd sit in duobus locis; nam sicut esse in duobus locis est supra exigentiam naturalem ipsius corporis replicati, ita supra suam exigentiam naturalem non exigeret in alterutro loco ubi supernaturale, adeoque nec moveri.

**cx.** Probatur 2<sup>a</sup> Pars 2<sup>o</sup>, quia alioqui naturaliter poneret formam, seu alterum ubi, naturaliter incompatible in eodem subjecto cum alio, quod naturaliter repugnat. Hinc

**cxii.** Colliges 1<sup>o</sup>, te quantumvis debilem sine difficultate sustentaturum corpus centum librarum supra utrumque humerum tuum replicatum; quia naturaliter non gravitaret, sicut naturaliter moveri non posset; sed quid si replicaretur in una bilance Gandavi & in alia Romæ, quantum ponderaret? nihil, quia, ut dixi, nihil gravitaret naturaliter.

**cxiii.** Colliges 2<sup>o</sup>, hominem quantumvis fortissimum non posse naturaliter puerum in duobus locis replicatum lædere aut percutere; quia læsio dicit motum carnis ex læsione, cicatrice aut percussione, qui naturaliter esse non posset.

DISPV-